

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

In Salvianum lucubrationes aliquot doctorum virorum

Weitz, Johann

Noribergae, 1623

Ad librum III.

[urn:nbn:de:bsz:31-131303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131303)

P. Fabrum 2. Semest. c. 10. Job. Kirckman. lib. 2. de
funerib. Rom. c. 17.

Orbitas,

Pag. 56. Acerbæ orbitatis.) Coim. Smy-
neus eo alludit lib. 2. U. 262.

ὃ γὰρ δὴ μετρητοὶ ἠγαθέσσι ἀλγῶσι πίν,
ἢ ὅτε πᾶσι δὲ ὀλιγῶν εἰς πᾶσι.

Nec alio spectat Ovidius, ubi de Niobes loquitur
supplicio; quam ita queritantem inducit, ut sepe
funera septem natorum efferi congeratur. Plura
invenies hujus nota apud P. Fabrum 3. Semest.
cap. 8.

Cumulus
malorum.

Pag. 57. Mali cumulus.) Ovid. 4. Pont. 12.
Hic cumulus nostris absit abestq; malis.

Cum oculi etiã foedarentur, &c.) U. N.
2. Trist. V. 103. & Prudent. Ham. arag. v. 376.
Contaminari atq; impiari putantur oculi fa-
cinoris improbi conspectu.

Pag. 58. In faciem insultaret.) Adi. comem.

Dei omnipo-
tentia. Terens. pag. 490.

Ibid. Omnipotentia Domini indeficiens.)
Arnold. Abbas Bonæ Vall. De operib. sex Dier.
pag. 7. 6. Nunquam est sola Trinitas, nunquam
egens divinitas, non deesse præsens, non ig-
norare sapiens, non infirmari potest omni-
potens, &c.

AD LIBRUM III.

Fundamen-
ta jacere.

Pag. 61. Jacta sunt.) Fundamentum, prima
instruendi operis pars est, sicut fastigium supremum
est

est jam absoluti. Unde quemadmodum funda-
menta jacere, transferunt ad id, quod est institue-
re quippiam: uidem fastigium addere, traducunt
ad rei perfectionem. Cicero 6. Philippi. Eo die
primum Quirites, fundamenta jacta sunt.
Reipubl.

Primos
rerum.

Ibid. Naturam status sui de stirpe sumit.)
Quia ut inquit lib. 6. pag. 194. ad exordium sui
cuncta respiciunt. Tertullianus lib. 2. aduersus
Marcion. Nulla posteritas non à primordiis
accipit.

Pag. 63. Investigare non audeo.) Nam. *Pia* *ἐὐλαδία*
scrutator Majestatis opprimetur à gloria. Pro-
verb. 25, 26. Vereres hoc illustrarunt exemplo So-
lis, quem intueri non possumus: radius acres sub-
movetur: obtutus intuentis hebetatur, & si diu-
tius inspicias, omnis visus extinguitur. M. Minus,
Octav. pag. 74. Ergo

Ad secreta poli curas extendere noli;

Sed de terrenà mortalis quere Camenà:
ut habent veteres Versiculi: Confer Zehn. cent. 1.
adag. 61. & supra lib. 1. ad p. 22.

Pagin. 66. Si res sibi traditas devorarint.)
Greci id vocant *καταπίειν*, ἢ *καταφαγεῖν* ἢ *εὐσίου*. Ari-
stoph. in Vespiis, *καταπίειν τὰ ἀργύρια*. Profusionem au-
tem talia denotant. Sic Comicus noster: Patria ab-
ligurierat bona. Sic Comedere res sibi bona,
Savian. inf. 4. lib. 4. de avar. p. 104. Vbi vid. plur a
in N.

Profusio.

Pag.

*Præsumptio
iustitiæ.*

Pag. 69. Etiam præsumptione iustitiæ.)
Bene noster Helmodus.

Quis virorum sibi non videtur pius?

Quot habitant simul in his & aliis mœnibus.

Aut qui nemo se partur ex omnibus:

Pessimi quoque se prædicant optimos.

Odiū ex ira.

*Ibid. Ira mater est odiū.) Columban. in Mo-
nostich. V. III. Ira odium generat: concordia
nutrit amorem. Basilius Magn. homilia
n. 102. ὀργὴ ὀδύνη p. 166. & seq.*

*Secare fru-
tices ac ra-
musculos.*

Ibid. Et omnes frutices ac ramusculos secet)
*Basil. M. d. l. p. 167. ἕτα γὰρ αὐτὸν δυνάμειν τὰ πλεῖστα ἔ-
νεκαίον, ἀπὸ τοῦ ὀργῆν τὴν ὀδύνην τὴν ἀλλοτρίαν οὐκ ἐκτρέφειν.*
*Goffrid. Abbas Vindocin. lib. 3. ep. 38. Malorum
sem na nullā occasione dissimuletis, sed mox,
ut oriri cœperint radicitus amputetis. Arbu-
busta enim, si statim, ut plantata sunt, concu-
tiantur, radicari non possunt: si verò diutius
tolerantur altius radicem figunt: & quæ prius
poterant quasi solâ manu & absq; difficulta-
te avelli, nunquam sine securi, & vix cum se-
cure valent deinceps extirpari. Apud Cicero-
nem invenitur & Surculum defringere: de quo
Erasm. in adag.*

*Pag. 10. Malunt reatus suos divinis igni-
bus.) Basilius M. homil. in Gordium martyrem
pagin. 207. πάντα σιφὸς μετὰ τέρχους δὲ πῦρ. μετὰ
πῶς ἔργια καὶ ὄδῳ τῶν αἰώνιων κλάσιν ἰαυτῶν προ-
μπεύουσιν.*

*Crucis digni-
tas.*

*Pag. 70. Ut plus habeant in crucis nomine
dignitatis.) Basil. M. homil. in Barlaam p. 202.*

ο γδ της μεγαλειωτερας ζωης παθος τω της σφραγης ιδωθην
νεκρον απεραζεται. & βλεπει της κινδυνος, αλλα της σφρα-
γης ο μαρτυς. & φειλη της πληρας, αλλ' δευμοειται βρα-
βεια. & ορα της ηρωα μεγαλυνης δημιας αλλα τε αλω-
θεν ανγλιος δ' οφθαλμους φανταζεται & σκοπει τ' κινδυνων
το απεσαισθην, αλλα το τ' επιθλων αιωνιον.

pag. 73. Quorum penè oranis vita naufragium est. Basil. M. homil. eis αρχη των παθητων est vita. Naufragiū est vita.
pag. 187. elegantiſſime deſcribit, quibus & quomodo jugiter Chriſtianus naufraget. Inſpice, nec te oper apamibit.

Ibid. In tantum.) επι τοσούτο, αδεο οβρια mul- In tantum,
tis vicibus in hoc ſignificatu vocabula. Inſ. p. 74. pro Aede.
116. 150. 151. 230. 290. 294. 309. 441.

Ibid. Ut ſolà ei immaculorum actuum puritate.) Civ. 2. de nar. Deor. Cultus Deorum Cultus Dei opt.
eſt optimus, ut eos ſemper, pura, incorrupta & voce, & mente veneremur. Iguir inquit M. Minus Octav. Qui innocentiam colit, Deo ſupplicat: qui juſtitiam, Deo libat: qui fraudibus abſtinet propitiat Deum &c.

Ibid. Et vitæ incontaminabilis ſanctitate.) Juſtin. Mart. parane. 2. Deum velle aut αυρη ηδυνει οσιονη τελειοιδον. Prudentius ad el. sep. 10. v. 357. & ſeqq.

Pag. 74. De eculeis) Fuiffe equuleum torto- Equuleus,
rium lignum omnes conſentiunt: eundemq; fuiffe cochlearum, ad extendendum & remittendū com-
poſitum; udem ex Nonio affirmari. Iſidor. Orig. 5. equuleum ab extendendo dictum putat. Cypri. lib. de la-

de lapsis: Nunc equuleus extenderet. Cume-
nim equuleus intenderetur, corpora simul extendi
necesseerat. Ammian. Marcell. lib. 14. Intende-
bantur equulei &c. Ubertum tractat de equu-
leo Caesar. Baron. in Notis ad Martyrolog. sub 22.
Januar. pag. 64. & seqq. Hieron. Mag. in tract.
De equuleo; itemque Gallon. De martyrum cru-
ciatibus.

Catasta.

Ibid. Catastis que.) Catasta hic instrumentum
est torquendi; dixerunt tamen ab equuleo. Gildas
Sapient. in Orat. Invect. in ord. Eccles. Multo
dignius profectò ad carcerem aut catastam
pœnalem, quàm ad Sacerdotium traheremi-
ni. Martyrolog. 16. Martii. S. Cyriacus. post
longam carceris macerationem liquatà pice
perfulsus, & in catastâ extensus, &c. Caf. Baron
in Not. ad Martyrol. p. 185.

Si, pro an.

Ibid. Videamus si.) Si, pro an. Adi Com-
ment. Terent. in Indice, infra lib. 4. Intelligimus,
si protectionem mereri possumus. *Ibid.* confi-
deremus solas negotiatorum turbas; si aliud
est vita istorum omnium, quàm meditatio
doli, &c.

Quanti pro
quot.

U. 75. Quantos putamus esse.) Quanti
pro quot. Quantitas continua pro discreta; seu
magnitudinis verbum pro multitudine seu nume-
ro. *Infra lib. 4.* Ut canum vel suum more, tan-
tas putet conjuges suas esse, quantas potuerit
libidini subjugare. Item *ibid.* pene sub finem: :
Et necesse erit, ut sit pro tantis reus, quantos
secum

secum traxerit in reatum. *Ambros. in Tobiam cap. 7.* O quantos miseros aliena fecerunt bona! pro quot miseros. *Observavit hoc loquendi genus & D. Rittershusius ad Gunther. lib. 4. v. 373. nempe Causabon. in Notis ad Spartian. pagin. 36. antequam, sic apud Gracos τὸς ἑαυτοῦ βίβας confundit. D. Hieronym. proem. in octavum commentar. Ezech. Quanti nunc Lazari jacent, & quantum purpurae diversis vestium coloribus proteguntur. Arnold. Bonerwall. pag. 5. Quantas prius aetates, quanta tempora, quantas seculorum origines fuisse arbitrandum est.*

Ibid. Tantum ab illo abest.) *Paulo ante* Tam procul enim abest, ut cum tunicis etiam alia relinquamus, ut si quo modo, &c. *Paulo inferius hoc libro:* Nam tantum abest, ut aliorum commodis aliquid cum propria incommoditate praestemus, ut omnes vel maxime, &c. *Et epist. 2.* Tantum enim abest, ut displicere ego caritati ac sensui vestro possim, ut etiam illud &c. *Consule Hadrian. Cardinal. de Serm. Latini. pag. 368. Graci τὸς ἑαυτοῦ δεῖ.*

Ibid. Quae vultis ut faciant.) *S. Columban. in Monastio. v. 84.*

Quod tibi vis fieri, hoc aliis praestare me-

(mento:

Quod tibi non optes, alii ne feceris ulli.
De hoc fufius Clarissimi Viri D. Phil. Camerar. meditat. hist. cent. 1. cap. 98. & Zetner. cent. 3. ad 57. Saresber. lib. 4. c. 7.

Tantum abest. U. &c

Summa justitiae regula

Pag:

Conculcare
id est conte-
mnere.

Pag. 77. Conculcanda.) Calcare & conculcare pro flocci facere, pro vili habere, aspernari, nullo habere numero. Inferius hoc libro: Vel illa quæ displicent, superbix abusione calcemus. Et lib. 4. in isto; qui Christi mandata conculcat. Lib. 4. pag. 111. Deterioris abiectione calcatur. Item pag. 112. Verantis iussa calcamus. Et pag. 145. Nos lecta calcamus. Lib. 5. pag. 152. Legem legimus, & legitima calcamus. Lib. 6. pag. 184. Nonnullas earum spernere ac calcare possunt. Lib. 2. pag. 271. Quæ majores iugiter quasi nulla conculcant. Lib. 2. ad Eccl. Cathol. Corporis voluptates admirabilis continentix austeritate calcantes. Ibidem lib. 3. pag. 416. Qui cultum Dei & dignitatem iudicii sui indignitate conculcant. Ad sine est Græcorum illud, καὶ πατεῖν, calcibus proterere; quo de 41. Jun. cent. 9. ad: 18. & Notæ s. Trist. 9. v. 10.

Servitus.

Ibid. Quos servitutis conditio inferiores.) Elegans hic est. Saresberi: libr. 8. cap. 12. quem lege: ut & Forner. lib. 1. rer. quotid. c. 9.

Profundus.

Pag. 78. Profundæ intelligentiæ.) Boeth. l. 3. met. 11. Profundâ mente vestigare verum. Græci pari intelligentiâ usurpant vocem βάθος. Plutarchus in Marcello Archimedi tribuit βάθος φρονήσεως & Themistius alicubi βάθος Δεξιότητος. Hinc Quintil. declam. 18. profundæ mentis consilia.

Maledicta.

Pag. 79. Prima semper irarum tela maledicta sunt.) Basil. M. homil. 19. de 2. de 2. de 2. p. 167. pul.

*pulcherrima huc facientia habes, qua cuius le-
gere in pr. clvi & facile est.*

P. 80. Propè in omnium sensu hoc regnat.)

Bas. M. homi. & c. 97: v.

*Ibid. Cibo nunquam detractione satura-
mur.) D. Hieron. sup. cap. 9. Proverb. illa verba:
Os impiorum devorat iniquitatem: sicut, in-
quit, famelicus refici cibis desiderat: ita im-
pius, ut iniquitatis executione satiatur, ar-
denter exquirat.*

*Ibid. Detrahens eradicabitur.) D. Bernh. Detrahitio,
super Cantica serm. 24. Sic quippe juxta Pro-
phetam, intrat mors per fenestras nostras,
cum prurientes auribus, & orib. lethalib. po-
culū detractionis invicem nobis ministrare
contendimus. Non veniat anima mea consi-
lio detrahentium: quoniam Deus odit eos,
dicente Apostolo: Detractores Deo odibiles.
Quam sententiam Deus ipse loquens in Psal-
mo, audi quomodo affirmat: Detrahentem,
inquit, secreto proximo suo hunc perseque-
ba. Nec mirum! cum id præcipuè vitium
charitarem, quæ Deus est, & quidem cæteris
acrius impugnare & persequi cognoscatur.
Omnis, qui detrahit, primū quidem seipsum
prodit vacuum charitate: deinde quid aliud
detrahendo intendit, nisi ut is, cui detrahit,
veniat in odium vel contemptum ipsis, apud
quos detrahit? Fovet ergò charitatem in o-
mnibus, qui se audiunt, linguâ maledicâ: &
quan-*

quantum in se est, necat funditus & extinguit:
non solum autem, sed & in absentibus uni-
versis, ad quos volans verbum fortè per eos,
qui præsentes sunt, pervenire contigerit, &c.
diag. ut idem scribit Bernb. lib. de modo bene vi-
vendi serm. 17. Separa aures à detrahentib. q. à
serpentibus. Fuge detrahentes, quasi serpentes
detrahentes infundunt venenum mortiferum
in auribus se audientium. Qui detrahit, & qui
detrahentem libenter audit, uterq; peccat.
Non solum ille, qui detrahit, peccat; sed ille,
qui voluntariè detrahentem audit.

Terminum non habere. Ibid. Terminum non habet.) *Cypr. serm. 2.*
Mala cætera habent terminum, & quodcun-
que delinquitur, delicti consummatione fini-
tur &c. Zelus terminum non habet.

Invidia in- dolens. Ibid. Quæ solum persequitur autorem suum.)
Quia ὁ φθὸν ὁ αὐτὸς ἰαυθὸν εἰς βελίσιον διαμύει. An-
tholog. 1.

Iustus invidia nihil est, quæ protinus ipsam
Auctorem rodit excrucians animum.

*Saraber. l. 7. cap. 24. D. Bernhard. libro de modo
bene vivendi serm. 24.* Invidia plus nocet sibi,
quàm alteri. Invidia prius seipsam mordet, &c.
& omnium rectissimè Nilus in par anet. capite 15.
*ὁ φθὸν ἰαυθὸν ζημιῶι: ὁ γὰρ κατ' αἰδέα φθονοῦντι
φθὸν παχων ὑφ' ἰαυθὸν ἡκανῶς.* Confer Isidorum Pelusi,
l. 2. cap. 297.

Ibid. Omnis clamor auferatur à nobis.)
*Basiliius M. homil. x. ὁμοιωθῶν pag. 166, & homil.
αὐτὸς λακίσις pag. 213.*

Pag.

Pag. 81. Feneſtras quodammodo eſſe men-
tium noſtrarum lumen.) *Gregor. l. 21. moral.*
Cum ſit inviſibilis anima, nequaquam rerum
corporearum delectatione tangitur, niſi quod
inhærens corpori, quaſi quædam egredien-
di foramina, ejuſdem corporis ſenſus habet.
Viſus quippe, auditus, guſtus, odoratus & ta-
ctus, quaſi quædam viæ mentis ſunt, quibus
foràs veniat, & ea, quæ extra ejus ſunt ſubſtan-
tiam, concupiſcat. Per hos enim corporis ſen-
ſus q. per feneſtras quaſdam, exteriora quæq;
anima reſpicit, reſpiciens concupiſcit. *Videan-
tur ibid. plura. uemq; P. Faber 3. ſemeſt. 19. p. 302.*
Ambroſ. l. De Noe & Arca c. 17.

*ſenſus cor-
poris fene-
ſtra animi.*

Ibid. Petulcos impudicorum hominum in-
tuitus noxâ adulterii.) *Hinc Chryſoſtomus ipſo
radicē adulterii eſſe curioſam inſpectionem in ſa-
ciem dixit. Ex quo iſtud in Anonii collectaneis
pica porcelas à dicitur & Ica it dicitur. Quamobrem
& qui muliorem libidinis cauſa, ejuſq; potunda
deſiderio aſpexerit, hunc in corde ſuo jam eſſe ma-
chutum, Dominus peritus, ac prudens legiſlator,
idemq; verus & juſtus iudex Evangelio ſuo ſacro
ſancto deſignat. P. Fab. d. l.*

Ibid. Sicut pulveris labem in ſe oculus non
reciperet.) *Ambroſ. l. de Noe & Arca. cap. 7.*
pili ipſi, qui orbem oculorum prætexunt, &
velut quandâ aciē prætendunt, ne ſorde aliqua
vel pulveris caligine pupilla lædatur; & ipſi ex-
cipiunt, ſi quid fuerit illatū, quod oculū poſſit
læde-

lædere. Et hexaem lib. 6. e. 9. Si quid enim de capite sordium decidat, aut arena pulvis, aut ros nebulæ, aut humescens verticis sudor, excipitur superciliò; ne teneras offensâ acie visiones mollium perturbat oculorum. *Infra lib. 5. pag. 264.* Ut in oculum etiam si parva fordes incidat, totum lumen occæcat; sic in Ecclesiastico corpore, &c.

Labes.

Ibid. Pulveris labem.) *Symmach. lib. 6. ep. 7.* pontium ruinas & montium labes, dixit.

Pag. 83. Qui silentio os cohercent.) *Bernhard. serm. de triplici custodia.*

Talis.

Pag. 84. Hoc pati quemque, quod fecerit.) *Infra lib. 5.* Nam hoc tolerabilius esset fermè, si pateretur quisque quod fecerat. *Legatur Zebner. cent. 2. ad. 59. & cent. 3. ad. 98.* quæ semina- verit homo, hæc & metet.

**Infestatio
omnium.**

Pag. 85. Omnes autem nos mutuâ infestatione laceramus.) *Goffrid. Vindocin. lib. 3. ep. 5.* Dum nos invicem, quod criminaliter peccare est, odiò & linguæ gladiò persequimur; pro luce tenebras mundi relinquentes. *Vise. ad D. Heron. Tom. 2. in reg. Monach. p. 277. b.*

**Sentina vi-
tiorum.**

Ibid. Quam sentina vitiorum.) *Infra lib. 7. pag. 255.* Sicut in sentinam profundè navis collusiones omnium sordium; sic in mores eorum quasi ex omni mundo vitia fluxerunt. *Saresber. lib. 7. cap. 24.* Detractores & invidos sic incuria videbis abundare, ac si in eam totius orbis sentinam confluerint, *Transfere*

Cicero

Cicero ad Rempubl. lib. 9. familiar. cap. 15. Sedebamus enim in puppi, clavumq; tenebamus; nunc autem vix est in sentina locus. Gloss. sentina, curia veteris. Item infra lib. 7. pagin. 261. Unam pures illic fuisse libidinum fornicationumq; sentinam, coenum quasi ex omni platearum & cloacarum labe collectum.

Ibid. Propè hæc cuncta sine fine.) Salomo Sine fine. Lexico: Sine fine, sine modo, sine intermissione. Ovid. 1. pont. 12. Vigilantque mei sine fine dolores. Prosper Aquitan. lib. 1. epig. 5. Ne sine fine habeat debita pœna reos. Plura exempla congescit Goldastus in Not. ad Columban. p. 97. & 105.

Pa. 86. Morum probrofitatem.) Inferius Probrofitatem. b. l. vitiorum probrofitatem dicit. Et libro 7. pagin. 268. Viros fœminei usus probrofitate, frangere.

Ibid. Non omnes passim intrare præsumunt.) Gulhelm. Forner. in Not. ad Cassiodori librum XI. epist. 32.

P. 87. Aut cædatur, aut propellatur.) Casaubon. in Not. ad Spart. p. 254.

P. 88. Quid aliud est cunctorum negotiantium vita, quam fraus.) Hinc Anacharsis apud Laërtium lib. 1. dicebat: τὴν ἀγορὰν ἀεὶ σμῆνεν ἀπὸν τοῦ ἀδικίου ἀπιστοῦ καὶ πλεονεξίου, forum esse locum, mutuis negotiatorum fraudibus & avaritiæ destinatum. Et Athenis ἀγορὰν ἢ ψευδῶν Colegiimus apud Hippocratem in libris τῶν ἐπιδημιαῶν.

Forum negotiatorum.

Quin & Cris scribit in l. i. iustissime S. proponitur
ff. de edil. edict. id genus hominum ad lucrum vel
turpiter faciendū pronius esse. Et hoc confirmans
quæ Poëta antiqui dicebant. Mercurium Deum
præsulemq; furum ac mercatorum; tanquam sc.
furtum & mercatura sint quadam cognatione con
iuncta. Pluribus Tiraquellus hæc diducit Tom. 1.
De nobilitate cap. 33. p. 240. Quare merito juris
auctores ita commerciorum utilitati studuerunt,
ut omnem tamen dolum amoverent, quem in
negotiatione præsentem & frequentem esse intella
gebant. Rad. Forn. quod. l. 6. c. 20.

Nobilitas.

Pag. 90. Ut nullus habeatur magis nobi
lis, quam qui est plurimum. D. Hieron. ad Hel
vidiam: Nobilitas mundi nihil aliud est, quam
inveteratæ divitiæ. Uberius hac de re disserit
plurima lectionis I. C. Tiraquellus Tom. 1. de nobi
lit. cap. 3.

Ibid. Quod in se semper admittunt. Colum
ban. in Monostich. v. 109.

Quæ culpæ soles, ea tu ne feceris ipse,
Vita aliena tuæ tibi sit cathegita vitæ.
Vide comm. Terent. p. 628.

*Peccantium
multitudo.*

Pag. 91. Non sanat unius conversio crimi
na plurimorū. Neq; peccantiū multitudine
culpa minuitur peccatorum: ut est apud D.
Hieron. Tom. 2. in Reg. Monac. p. 177. a. vide Sa
resber. l. 7. c. 19. P. Fabrum 3. semest. c. 8. p. 111. Si
don. Apollin. l. 7. ep. 9. Est hæc quædam vis malis
moribus, ut innocentiam multitudinis deve
nustent

nustent scelera paucorum : cum tamen è di-
verso bonorum raritas flagitia multorum ne-
queat excusare virtutibus communicatis.

Pag. 92. Filii membra parentum.) *P. Faber. Filii.*
3. Semest. 8. pag. 113.

Pag. 93. Vita à professione discordans. *Infra*
lib. 5. pag. 174. Non conveniunt vestris studiis
facta vestra : non debetis esse amici criminum
qui dicitis vos sectatores esse virtutù. *D. Bern.*
homil. de duob. discip. euntib. in Em. 4. us. Sic mul-
tos videtis hodie studentes in scripturis, do-
centes in cathedris, prædicantes in Ecclesijs,
sed opera eorum non concordant cum ver-
bis. Confitentur verbis, se nosse Deum, sed
negant factis.

*Vita discor-
dans à pro-
fessione.*

AD LIBRUM IV.

Pag. 94. Ornamentum in luto.) *Idem repe-*
titur inf. l. 2. ad Eccles. Cathol. pag. 379. Boëth. l. 2.
prosa 6. Collata improbis dignitas, non modò
non efficit dignos, sed prodit potius & osten-
tat indignos.

*Dignitas in
indigna.*

Ibidem. : Circulus aureus.) *Zehner. cent. 1.*
ad: 25.

Ibid. Israël.) Mox exponitur, videns Deum, Israël.
Supra l. 2. p. 45. Israël videns Deum interpreta-
tur. *D. Hieron. supr. c. 44. Esaiæ;* Propriè, inquit,
juxta Hebræos & literarù fidè, Israël rectus Dei
dicitur. *Vir. a. videns Deù nò in elementis, sed*